



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Controversia 10. De Ecclesia, Pontifice, Concilio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

420 Pars 2. Cont. 10. De Ecclesia, Pontifice, Concilio.  
cidamus. Potest tamen homo illa impetrare merito congruo non habente infallibilem connexionem cum isto præmio. Admittit enim S. Thomas. 1. 2. Quæst. 114. art 9. illa posse ferventi oratione à Deo obtineri. Et S. Augustinus lib. de dono perseverantiae cap. 6. docet hominem posse hoc donum suppliciter emereri. Quando vero ibidem cap. 13. afferit, & inchoandi, & usque ad finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, solum excludit meritum condignum, vel quod ex solis naturæ viribus procedit.

## CONTROVERSIA DECIMA.

### De Ecclesia, Pontifice, Concilio.

**A**D hunc locum revocanda sunt quæ superius in fine part. 1.p. 61. Controversiis polemicis adjunximus, de Ecclesiæ potestate, & infallibilitate : De authoritate Romani Pontificis, & quomodo ea sit supra Concilia generalia, & sine his possit absque erroris periculo definire controversias fidei, & morum, & facti quæstiones; declarare etiam verum sensum Scripturæ sacræ, judicare de sensu libri Catholico, aut heretico. De reliqua denique potestate Pontificium, & Conciliorum varias horum temporum quæstiones in particulari decidimus, ex quibus, in controversiis quæ horum in Ecclesia authoritatem concernunt doctrina sana, à damnatis erroribus facile discernitur. Hac autem authoritate stabilitâ, facilis fit progressus ad brevem certainque sequentium Dogmatum in reliqua Theologia decisionem. De singulis brevi methodo

Pars 2. In reliqua Theologia Cont. decidunt. 421  
thodo formari poterit hic syllogismus. Illa do-  
ctrina à nullo Fidelium admitti potest quam le-  
gitima Ecclesiæ Concilia , aut Pontifices è Ca-  
thedra damnarunt, aut censurarunt. Sed hæc do-  
ctrina N. est talis. Ergo hæc à nullo Fidelium  
admitti potest. Unde ulterius ritè inferes, Doc-  
trinam illi oppositam censeri sanam, & in Scho-  
lis omnino receptam.

## CONTROVERSIÆ ALIÆ.

In reliqua Theologia brevi methodo  
resolutæ, ex Censuris, Decretis, aut  
Definitionibus Ecclesiæ , aut Sum-  
morum Pontificum.

§. I.

*De operibus, gratia, & meritis tam Hominum,  
quam Angelorum.*

Censuratæ sunt sequentes propositiones in  
proprio verborum sensu , ut singulæ respe-  
ctivæ sint erroneæ, aut hæreticæ , aut suspectæ,  
temerariæ , scandalosæ, aut piarum aurium of-  
fensivæ , ut contra doctrinam Baij decernunt  
Constitutiones Pij V. Gregorij XIII. & Urbani  
VIII. quarum tenorum in hujus 2. partis fine  
reperies.

Vita æterna homini integro , & Angelo pro-  
missa fuit intuitu bonorum operum , & bona  
opera ex lege naturæ ad illam consequendam  
per se sufficiunt.

Sicut